



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 3. Admiranda Laconiæ & Messeniæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

In Achaiâ Peloponnesi circa Caryniam vinum nascitur partum abigens; et si vuam tantum edant grauidæ, cùm tamen sint eiusdem saporis cum aliis vuis. Addit & Theophrastus canibus grauidis si vuas illas gustauerint catulos elidi. *Plinius lib. 15. cap. 18.*
Athenaeus & Theophrastus.

Circa Sicyonem in mari vites reperiuntur, sed & ficus sine foliis, & rubro cortice. *Plinius lib. 13. cap. 25.*

N V M. 2. Argie Admiranda.

ANDRO quidam vir Argiuus totâ vitâ suâ siti, potûque caruit: iuit ad Ammonem, & vietitauit tantum farinâ siccâ. *Aristoteles de ebrietate apud Apollonium cap. 25.*

Serpentes parui nascuntur Tyrinthæ (hîc Hercules nutritus perhibetur) illi aduenas interimunt, indigenis innoxij sunt. *Plinius lib. 8. cap. 59.*

In Trœzene omnes pedibus laborant, cuius morbi causa in aquas refundenda est. *Vitrinius lib. 8. cap. 3.* & *Plinius lib. 31. cap. 2.*

Apud eosdem Trœzenios sacra fiunt, in quibus quam in partem prima hostia ceciderit, in eandem cæteræ postea immolandæ carent. *Pausanias in Corinthiacis.*

Hîc quoque mons pluviâm receptam non effundit, sed totam absorbet. *Idem, ibidem.*

Ibidem quoque aqua inuenitur, quæ et si tranquilla videatur, si quis huic se commiserit ad ima trahitur. *Idem Pausanias eodem loco.*

N V M. 3. Admiranda Laconia, & Messenia.

CRESCIT in Laconiâ Agnus vitex ex viminum genere, per umbilicum adnectitur, & circa se herbam depascitur, eius caro tenerima est, & exquisiti saporis. *Pausanias in Laconicus.*

In Laconiâ Formicæ diuersæ à vulgaribus videntur, nam omnino albicantes sunt. *Idem Pausanias.*

Ad urbem Tyrræam quæ sita est in finibus Laconum, & Argiorum, lapis excinditur qui quantumvis grandis innat, communitus verò infundum aquæ defertur. *Plinius lib. 2. cap. 103.*

In templo *Inus* futura dormientes præsident. Præterea in pa-
ludem, quæ etiam *Inus* dicitur, solent liba proiicere, ea si de-
mergantur autumant promitti felicia proiicienti; si aqua munus
reiecerit aduersa expectant. *Pausanias in Laconicis.*

In *Tænaro* olim fons qui intropscientibus præbebat aspicien-
das naues, quæ portum subibant. Aquæ miraculum fœmina abs-
tulisse dicitur, cum in eo vestem pollutam menstruis abluisset.
Idem Pausanias.

Vidi ego (inquit auctor) Delphinum qui puero, à quo sanatus
erat ex vulnere quod à pescatoribus acceperat, penderet merce-
dem, huc & illuc eum circumferens. *Pausanias ibidem.*

Herba nascitur in *Taygeta* monte Charisios dicta, quam mu-
lieres initio veris collo alligantes, vchementius à maritis amantur.
Plutarchus in libello de Montibus.

In *Chronio* monte nascitur lapis *Cylindrus* dictus, sic dictus ab
casu qui ei contingere solet. Quoties enim fulgorat, aut fulminat,
toties à culmine montis sponte deuoluitur. *Idem Plutarchus ex
Dercyllo lib. I. de lapidibus.*

In *Eurota* fluvio lapis dignitur *Galeæ* simillimus θεραπεύλος
dictus, qui quamprimum tubam inflare senserit, illicè in ripam
quasi ad pugnam solet exilire. Quod si quis tum Athenienses no-
minarit, exemplò in altum demergitur: cuiusmodi lapides multi
Mineræ consecrati. *Nicanor lib. 2. de fluminibus.*

Aristomenes Messenius 300. Lacedæmonios occidit: missus in
specum per cauernas effugit; iterum captus ad ignem lora com-
busit. Mortuo demum cum pectus apertum esset cor hirsutum
repertum est. *Plinius lib. II. cap. 37.*

N V M. 4. Admiranda Elidis.

ELIDE mulier ab Æthiope adultero imprægnata filiam peperit
albam: sed ex eâ filiâ, & homine Græco natus est filius Æthiops.
Antigonus cap. 122.

Alpheus fluuius vitilinges, & impetiginem curat, vnde & no-
men accepit. *Strabo libro octavo.*

In vrbe Elide Pelopis os eburneum, seu costa seruabatur, sta-
tisque temporibus morbo laborantibus ostensum, videntibus sa-
lubre salutiferumque existebat. *Plinius.*

Rrr iij